



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

November.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

hæc enim habet S. Gregorius Naz. de S. Stephano. *Majus aliquid Deo morte offerens nempe animi moderati- nem, & inimicorum dilectionem. Greg. Naz.*



NOVEMBER.

FESTUM OMNIUM SANCTORVM.

i. Novembr.

*Sancti per fidem vicerunt regna, ope- rati sunt justitiam, adepti sunt re- promissiones. Paul. ad Hebr. cap. 11.*

**I**N nuce iliadem, in pagella, inquam, omnes Sanctos tenes. Cæterum quæ festo huic diei origo fuerit, lubet denarrare. Et principio id constat, cum Deos jam Romani plures ferè quàm homines numerarent, fanum exædifi- casse, in quo totus Deorum Dearumque grex stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon di- xisse. At anno, postquam Dii omnes uni ces- sere Deo, nono supra sexcentesimo, Bonifa- cius IV. PP. vacuum à dæmonibus locum lu- strare aggressus, rectiùs hunc Virgini Matri & Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam rem

rem X  
cum t  
indu  
sancti  
annu  
simu  
sanxi  
do,  
quod  
coelo  
clesia  
die v  
exor  
Nam  
do u  
Roma  
I  
1. V  
qui p  
met  
frau  
mac  
van  
Am  
2  
divi

rem XXVIII. Divorum ossibus onustos currus  
cum triumpho quam potuit splendidissimo  
induxit, simul ut illo ipse dies festus Romæ  
sanctusque esset, imperavit. Idem postea sub  
annum Christianum octingentesimum trige-  
simum quintum, Greg. IV. per Occidentem  
sanxit, eam potissimum ob causam, ut, quan-  
do, tum ob numerum innumerum, tum  
quod virorum sanctorum pars longè maxima  
coelo, non item terris nota est, non potest Ec-  
clesia singulis diem donare, certè omnes uno  
die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa  
exordia. Tu, si sapias, numerum auge beatorum.  
Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquan-  
do unus es, heu! nullus es. *Ex Baron. & Mart.*

*Roman.*

## MEDITATIO.

### *In Festum omnium Sanctorum.*

1. **V**ita Sanctorum plena fuit ærumnis; etenim ut  
vel ab inimicis Christi vexati sunt, vel à Deo,  
qui probavit eos, tanquam aurum in fornace, vel à se-  
metipsis, quoniam non modò licitis voluptatibus  
fraudarunt sese, sed carnem suam acerrimis doloribus  
macerarunt. *Non natura præstantioris fuerunt, sed obser-  
vantia majoris, nec vitia nesciverunt, sed emendarunt.*  
*Ambr.*

2. Sancti omnes læti ac hilares semper vixerunt,  
divina enim gaudia, quibus superabundabant in tri-  
bulatio-

bulationibus suis, pellebant omnem corporis dolorem. Hos velim videas, tum in feralibus pegmatibus tum in solitudine. Hic præ cœlestium consolationum copia, lacrymas tenere non possunt: illic rident vel in mediis ignibus. Tanta est Dei liberalitas, ut sanctos voluerit, etiam hac in vita æternæ felicitatis delicias prælibare.

3. Si tanta fuit suavitas in terra, quæ quidem exiliis præliorum & laborum locus est, quanta erit in cœlo, patria nostra, ubi triumphus præparatur? ibi malis omnibus vacui bonis omnibus redundabimus. Deum quippe possidebimus. Audi, quid sancti dicant: non est facilius ad cœlum via, quàm quæ nostris, & Christi vestigiis trita est. *Non hic quæras, quod nullus sanctorum obtinuit, quod nec Christus &c.* Euseb. Emisl.

## COMMEMORATIO FIDELIVM DEFVNCTORVM.

2. Novembr.

*Beati mortui qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.*

**P**lētās lacrimas, Mariane, oculis tuis obijcimus, ut his oratoribus tibi exprimamus veras & quibus opem non fictæ calamitati feras, nec jam pictos extinguas ignes. Id porro quàm meritò facias, ex annalibus D. Dominici

nici disce. Numeravit hic inter Alumnos  
 suos duos præcæteris pietati deditos, Bertran-  
 dum alterum, alterum Benedictum. Ille pro  
 peccantibus, hic pro luentibus in flamma pia-  
 culari multum sollicitus, preces ac sacrificia  
 quisque in suos congerenda credebat. Et pu-  
 gnabat Benedictus magnis rationum mo-  
 mentis & aiebat, illos, si modo velint, rebus  
 suis abundè posse consulere, ore suo orare,  
 manu suâ avertere iram numinis posse, hos  
 verò, ut qui manu carerent, utique auxiliari  
 alterius egere. Contra contendebat Bertran-  
 dus tam hos suæ salutis, quàm alteros illos, ni-  
 à præcipitio abducerentur, interitus certos  
 esse, itaque gravius periclitantibus succurren-  
 dum. Et perstitisset in hac sententia, nisi ex  
 purganti igne anima una omnium legatione  
 functa terrore suo sub noctem insequentem  
 patrocinium suum & sociatum ita persuasif-  
 set, ut jam nemo alius pro his ad aram fre-  
 quentius Bertrando oraret. Et profecto si sa-  
 pimus vicina incendia & nobis quoque jam  
 jam impendentia communi operâ sopimus,  
 hoc est, cilicio opprimimus, precibus averti-  
 mus flagris fugamus, gemitibus diffilamus, o-  
 culorumq; imbre extinguimus vindices ignes.  
 Quin quisquis fila manu tenes & globos Vir-  
 gini

is dolo-  
 gmaris  
 tionum  
 nt vel in  
 sanctos  
 delicias  
 n ex illis  
 n celo,  
 maliso-  
 Deum  
 at: non  
 & Chri-  
 sando-  
 IO  
 O  
 mo-  
 obli-  
 amus  
 ti fe-  
 outo  
 omi-  
 nici

gini sacros, tenere te funem puta, quo ex inferno carcere ascendere hodie ad cælum admas facias.

MEDITATIO.

*De Animabus Purgatorii.*

1. **A** Nimæ purgatorii pœna damni cruciantur, & Deum nondum videant. Prô dolor? naturæ gratiæ pondere ad Deum vehementer feruntur, & Deum possunt attingere, & quod durius est, fortis retardantur leviolem propter voluptatem, quàm contra legem Dei perceperunt. Miserere harum animarum: abrumpe tam dura earum retinacula.
2. Iisdem planè flammis, atque damnati, cremantur; nam ignes purgatorii, & ignis inferni duratione duntaxat differunt. Animæ quæ infernis addictæ sunt flammis, in æternum, quæ purgatoriis, ad tempus comburentur: hoc tempus minuere potes precibus, jejuniis, elemosinis. An negabis hoc charitatis officium parentibus, fratribus, amicis, id à te gemitibus suis, petentibus? *Miseremini mei, miseremini mihi saltem vos amici mei.*
3. In hoc tamen carcere non conqueruntur, quoniam acquiescunt in divina voluntate; gaudent illa quidem, eum videant ex una parte infernum, quem declinârunt, ex altera Paradisum, quò brevi concessuræ sunt. Disce ab illis patiendirationem. In omnibus calamitatibus compone voluntatem tuam cum divina, & adhibitis interdum voluntariis mortificationibus, purga animam tuam, ne his ignibus purgetur. *Domine in hac vita purga me. Aug.*

S. MAR-

S. MARCELLUS Episcop.

3. Novemb.

*Beatus qui non iudicat semetipsum  
in eo, quod probat. Paul. ad Rom. 14*

**M**ulti Thyrsigeri, pauci Bacchi, vinum  
perdunt multi, pauci faciunt. Mirus in  
hoc Marcellus Parisiensis fuit, cui in manu,  
prodigio divino, vitis gemmas primò, mox  
flores momento protulit, & uvas, unde vi-  
nū expressit. quin & loturus Episcopo suo ma-  
nus, vinū ex Sequana hausit, ejus virtutis, ut  
calix unus sufficeret totius populi sedandæ siti  
nec sic caretur vasculū, ex quo multi etiam æ-  
gri (non ut modò noxiè in symposiis propina-  
tur) verè sanitatem bibere. Tam eminentem  
virum proin meritò patria sibi præesse voluit  
pastorem. Mortua est eo Episcopo, quàm ge-  
nere, tam adulteriis famosa mulier. At glo-  
riosè sepultæ superbum tumulum adrepens  
ingens terpens, præsentibus infelicis agnatis  
subiit, idemque venenosus prædator, velut è  
macello, paulò post, retulit insigne carnis  
frustrum demortuæ ex sepulchro. Rei scœdita-  
te attonitis omnibus, Marcellus Episcopus se  
sequi populum ad monumentum jubet: jam-  
que cornutus ad culinam suam draco revol-

U

veba-

vebatur, cum Sanctus prævia oratione occurreret, bestiamque, dejectâ caudâ quamvis supplicem, ter virga percussam, appenso capiti ejus Evangelio, multo spectatore enecat. At quis adulterorum animæ vermem in inferis necabit? *Ex Feuchtio.*

## MEDITATIO.

### *De bona, & mala conscientia.*

1. **I**ucundiùs nihil est, quàm bene actæ vitæ conscientia; qui sibi bene conscius est, semper lætatur, qui malè, nunquam. Accusetur, puniatur justus, solâ benefactorum conscientiam recreabitur magis, quàm impius plausu, & laudibus mordente conscientiam.

2. Conscientia malefactorum supplicium gravissimum est; ea quippe accusat, judicat, punit peccatorem, nec unquam ab ipso discedit: nullius habet rationem: Theodoricum, Neronem, Herodem, in media militum caterva fidenter aggreditur. Nisi resipueris, ad extremum usque spiritum conscientiam stimulis pungèris, & quocunque jèris, tecum habebis tortorem.

3. Huc accedit, quòd angores conscientiam morte non extinguantur: prava conscientia hominem comitabitur ad Christi tribunal, exponet crimina, & ea quidem ratione, ut ne verbulum quidem peccator dicturus sit, quo peccatum minuere, nedum diluere possit; quid plura? descendet in infernum, & æternus vermis  
damna-



damnatorum pectus exedet. Si velis conscientiae stimulis liberari, nihil unquam facias eam reluctante, & tacitis ejus monitis morem semper geras. Nihil iustius est, nihil tutius bonam conscientiam premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secunda. Bern.

## S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. Novemb.

*Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam.* Apoc. 2.

**E**Rubescant puto ad Caroli purpuram omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustrissimo parente aliter quam in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infulâ insignis Parochorum vitam ipse inspiceret, ipse morbidas oviculas curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hinc illi animarum pastores, qui suum nunquam numerant, qui neque noverrunt gregem? Atqui ille, quæ diximus, tunc fecit, cum provinciam dira lues famesque popularerunt, quando, ut Christum operiret, parietes Aulæ, se lectulo etiam nudavit. Pe-

stem supplicationibus avertit ad DD. pulvina instituit, in quibus ipse nudus pedes, funeque in collum injecto, crucem prætulit, & in hac clavum ex illis unum, è quo nobilissimum olim Anathema Servator pependit. Portò authoritati Ecclesiæ vitam posthabuit; Et suam purpuram suo iterum sanguine pinxisset, nisi globus Divum jussus ferire à tergo ad pedes delapsus esset. Puer, cùm alii ludos, ipse Virginis templa obibat. Præter horas canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, & dici à domesticis voluit. Sub Mariæ nomine collegium adolescentulis nobilibus extruxit. Mariæ statuam ante omnium templorum portas posuit. Hujus icone armari omnes milites suos voluit, forti utique clypeo. Mitto cætera, hoc addo: alios purpura, Carolus purpuram ornavit. *Ex vita.*

## M E D I T A T I O.

### *De vita S. Caroli.*

1. **T**anta erat charitas S. Caroli, ut rebus spirituales hominum suæ Diœceseos, & temporales indefesso labore, & profusis divitiis consuleret. Instituit xenodochia, Collegia, Seminaria; quin etiam ipsemet pauperes fidei rudimentis imbuere, pauperumque confessiones excipere solitus erat. Næ tu angustioris es animi, qui tui duntaxat corporis curam habes

habes. Quid tam parcus es in pauperes? *Divitia pauperem faciunt, si diliguntur; divitem & beatum, si pro Christo contemnuntur.* Guerr.

2. Orandi tam studiosus erat, ut orationem ad octonas horas quandoque produceret. Orabat aliquando, cum quidam in eum catapultam explosit; intermisit quidem orationem, sed duntaxat ut prohiberet, ne sui scelestum hominem insequerentur. Quam absimilis est nostra precandi ratio? res nihili à Domino nos avocat an eodem animo hosti tuo pepercisses?

3. Quantum amabat alios, tantum se oderat: jejunia, verbera, peregrinationes, quas pedes faciebat, cilicium, quod etiamnum moriens gestabat, liquidò probant, eum odisse animam suam, in hoc mundo. Quomodo agis cum corpore tuo? hic Princeps naturæ delicatioris, mole negotiorum oppressus, habebat vires, & tempus ad mortificationem, tu verò non habebis?

---

## S. MALACHIAS.

5. Novemb.

*Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

Christus Matth. cap. 5.

**A** Des turba literaria, & si placet, euntem ad ludum puerulum Malachiam comitare. Vides ex via subsistentem, & passis brachiis

chiis identidem non Apollini sed Numini supplicem? O plures sic ad scholas itarent, ut plures inde Malachia redirent. Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Musis donatus sororem è piacularibus flammis facto sacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Episcopatum tulit. Verum uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti Malachia plures insidias posuerunt, ut ipsius infulâ suam tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum Malachias ad asylon templum confugit, tempestas omnes ejus hostes fulminavit, lacerosque eorum artus hinc inde stipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam suspendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putrescere hanc sensit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios ignesque & dæmon malus sunt ulti. Ita omnibus periculis subductum caput in tutas latebras Claram Vallem tulit, & ut securum jam esset, cucullo abdidit morienti oculos clausit D. Bernardus, quem quia præconem laudum etiam suarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidet. *Ex S. Bern.*

MEDITATIO.

De ratione juvandarum animarum Purgatorii.

1. **A**djuvare debes precibus, aliisque piis operibus animas purgatorii. Charitatis est id genus officium Christianis omnibus præstare, quia sunt fratres tui, justitiæ verò, parentibus & amicis, quippe, qui divitias eâ conditione tibi reliquerunt, eorum ut animabus opem ferres. Heu! parentes tui patiuntur in his flammis fortasse tuâ causâ, quia nimirum te plus æquo amârunt, nec te misereat parentum tuorum? *Miseremini, miseremini saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job.*

2. Potes levare animarum dolores oblati sacrificiis, sacrâ Communione, indulgentiis, jejuniis; nequeunt illæ quidem suis precibus minuere inflictos sibi dolores, ast vel ex eo dolorum oceano aliis possunt gratias impetrare. Adjuva eas; invoca eas tuis in necessitatibus, beneficii memores aderunt invocanti.

3. Si benignum te adversus aliorum animas præbueris, non deerit, qui post mortem tuam pro te preces fundat. Noli tamen idcirco omittere poenitentiam, sed vaca, quibuscunque poteris, piis operibus, ut minuas dolores, qui te manent in purgatorio. Abstine, quantum poteris, ab omni levi peccato, graviori si quidem dolore ibiluitur. Heu! quot venialia peccata quotidie committis, in purgatorio punienda.

S. LEONARDVS Confess.

6. Novemb.

*Pacem relinquo vobis, pacem meam  
do vobis non, quomodo mundus dat*  
Christus Matth. cap. 18.

**L**eonardus nobilissimo genere Gallus, in  
Aquitania natus, à S. Remigio, patrino  
Clodovæo Rege, sacris ablutus undis, aulae  
honores oblatos solitudini posthabuit, quâ  
ut amplissimâ frueretur, Rex Lemovicensis  
sylvæ magnam illi partem donavit: eam tem-  
plo à se Bmæ V. structo Leonardus, fonte pre-  
cibus excitato, suaque habitatione nobilita-  
vit, unde loco nomen Nobiliacum inditum.  
Neminem Sanctus hic nisi beneficiis devinxit,  
quos inter Gallia Rex præcipuè fuit, qui ejus  
precibus, soluta difficili parturitione conjuge,  
hæredem masculum obtinuit, quod antem  
manu sua Leonardus vincula præfert, osten-  
dit in manu sua fuisse catenis ærumnosos cri-  
pere, quod & privilegio Regis ei primitus in  
regno concessum est, & ut alibi idem prodigi-  
osè posset divinitus ei & in vita & post mor-  
tem singulari tributum fuit prærogativâ: hinc  
tot vincula & ferrei compedes, quibus aurei  
hujus

hujus Sancti templa onerantur & aræ solida  
collatæ libertatis anathema: sed & equorum  
soleæ ferreæ, templorum Divi valuis affixæ,  
firma sunt vestigia, quibus sospitorem e-  
quorum deprehendas, à Dominis ob rece-  
ptam jumentis ejus patrocinio sanitatem, hoc  
monimento passim in Germania cultum. A-  
deò sancti opiferi non dedignantur è cœlo vel  
jumentis mederi ut implorantium votis re-  
spondeant. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

*De miseris hujus mundi.*

1. **R**ara fides inter amicos, rara pietas inter pro-  
pinquos: ubique terrarum regnat fallacia, ubi-  
que dissimulatio: suæ quemque trahit voluptas; o-  
mnes quærunt quæ sua sunt; omnes honori serviunt.  
Cui ergò fidendum? heu? mundo fidimus, qui toties  
fefellit, & diffidimus Deo, qui semper fidelis fuit!

2. Pax nulla est in hoc mundo, quippe, qui totus in  
maligno positus sit. Homines hominibus bellum in-  
ferunt, imò Deus ipse quotidianis hominum crimini-  
bus appetitur. Expedi nos, Domine, mundano tu-  
multu, da nobis illam, quam mundus dare non potest  
pacem. Si mundum valere jusseris, cave, ne in Mo-  
nasterio mundanis nugis iterum capiaris; sin autem  
vinculis sæculi fueris irretitus, sanctos imitare, qui in  
mediis procellis pacatiorem vitam ducunt; quoniam  
non mundi, sed Christi spiritu aguntur.

3. Fuca-

3. Fucata sunt mundi bona (quæ miscet pocula, dulcia videntur) sed revera amara sunt, iisque accenditur, non extinguitur sitis. Quo quis pluribus abundat mundi bonis, eo pluribus abundat miseriis. Quid ergo mundum amamus ubi nulla fides, sed multæ infidix, ubi plebs primoribus, invidet, & primores plebem opprimunt? *Repudiemus mundum parum fidem, utrobique suspectum; subjacet contumelia minor, major invidia.* Eucher.

## S. ENGELBERTVS Episc.

7. Novemb.

*Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Christus Matth. cap. 18.

**C**Vnas vitam mortem, omnia in Engelberto præclara reperio, & digna insula Coloniensi, quam ille uti & libertatem Ecclesiæ etiam contra cognatum sanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Christi patrimonia sua putant & in suos effundunt!) toto pectore propugnavit, ipsique adeo vitæ antehabuit. Neque enim alia ulla fuit causa Friderico Isenburgensi Comiti & patruo Engelberti, cur sub annum millesimum, ducentesium & vigesimum quintum, immissis sicariis ex itinere

nepo.



nepotem obtruncaret, parricidio tot sceleribus quot vulneribus pleno, quæ quadraginta & septem erant. Nec vero minus piè, quàm fortiter est mortuus Engelbertus. Nam, ut taceam virginem solemnè omnibus diebus Mercurii jejunio cultam, monitus per literas de insidiis animum quidem confessione purgavit & lacrimis expiavit, cæterùm ut ne hostem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cùm jam parturiret ultimum scelus, hospitio non semel cum suis excepit, neque comitem habere viæ abhorruit, utque Malus Genius ex ore alieno palam fassus est, moriens Christo Christi verbis pro hostibus suis supplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera sunt) patrandi. Sub idem fere tempus lunæ geminam alteram lunam Cœnobita vidit gladio insignem, ne dubitaret Orbis, sideribus novum sidus Engelbertum additum.

Ex Surio.

## MEDITATIO.

### *De Ira & vindicta spiritu franando.*

I. **O** Dio habebis iracundiam, si diligenter observaveris ejus effectus. Vide, ut perturbat animæ tranquillitatem, quam de statu dimovet: ut nocet sanitati, ut vir iracundus sibi, aliisque gravis est. Quis enim consuetudinem amet illius, qui levi de causa ignescit

scit? Heu! peccatis meis infernum merui, & nihil pati volo, ut ea peccata deleantur? Martyrium passus sum sancti, ego verò ne verbulum quidem? voluntatem tuam cum divina componeres nec tam facile irasceris, si crederes, quod bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.

2. Vide, quod crimina nascuntur ex iracundia: hinc injuriæ, calumniæ, rixæ, bella: Ut iram extinguas, memento patientiæ, & mansuetudinis Christi. Audi mitissimum Iesum dicentem: *beati mites*. An fulgurat, an tonat Deus, quoties offenditur? Iratus nihil suscipias, nihil statuas, sed exspecta, dum remiserit ira.

3. Si quispiam te offendit, ubi deserbuerit iracundia, eum conveni, & inter te & ipsum solum expone, quid egerit; id si feceris, eâ, quâ par est benignitate & prudentiâ, profecto audiet, agnoscet peccatum, sine mora in gratiam redi cum eo, & tamen in ipso culpa resideat, prior tamen aperi reconciliationem. Officio suo si deest, ut quid deesses tuo, consiliumq; Christi contemneres.

## S. GODEFRIDUS Episcop.

8. Novembr.

*Sit Eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Christus Matth. c. 6.

Coepit

**C**oepit Godefridus in tempore (quinti  
 Quennis utpote) ad sanctitatem inter  
 Coenobitas conniti, Musis juxta & pietate  
 succollantibus. Anno ætatis XXVI. Abbas,  
 inde Pont. Ambianensis mirum est quam be-  
 nignum se miseris exhibuerit, tredecim quo-  
 tidie de his epulo solitus excipere, ablutis suâ  
 manu eorum pedibus: nihil utique alienum  
 à summa dignitate existimans, facere, quod  
 prior Pont. Max. Christus fecisset. Et fortè be-  
 ne magnum & qui culinæ unicus superabat,  
 piscem inde ipse asportaverat, donum lepro-  
 sis stipem rogantibus. Fieri cum absens tunc  
 succenseret postea Oeconomus, illud modo  
 respondit Godefridus: Etiam atque etiam vi-  
 deret, illène abundaret an pauper Christus e-  
 suriret rectius? Et verò ut hunc tegeret, non  
 dubitavit suis laciniis summa hyeme se spolia-  
 re; & mendicabulum his ditare, ipse contra  
 frigora hac unâ charitate satis armatus. Jam  
 clementiæ in subditos illud sit argumentum,  
 quòd ad tyrannum, quem ob scelera templo  
 proscripterat, per maxima itinera excalceatus  
 contendit, & ad facinorum detestationem  
 reum supplex in genua Judex invitavit, quin  
 tunc etiam contumacem nihilominus capti-  
 vum postea in libertatem asseruit. Quòd ta-  
 men

men Cives Ambianenses monita ejus vel negligenter, vel contemnerent etiam, ignem urbi exercitus imminere vidit, interitum hujus, ut D. Firminus Godefrido vaticinatus est, portendentes, qui non multo post reapse delapsis caelo flammis est insecutus. Nos, in caelo Deus ignes, oculis lacrimas rectè pluemus. *Ex SUR.*

## MEDITATIO.

### *De vanis hominum judiciis.*

1. **O**Mnia dicta & facta tua ad Dei gloriam referantur. Cave ne corrumpantur vanitate. Etenim si dictis aut factis tuis gloriam, & famam aucuperis, mercedem accepisti O Deus? pro me venisti in mundum, pro me laborasti. Pro me passus, & in Cruce mortuus es; vivam utique, & moriar pro te.
2. Ne sis sollicitus de vanis hominum judiciis, nullus unquam omnibus probatus est; quot capita, tot sensus; qui posses igitur, etiam si velles, tam varios sensus in tuas partes trahere? noli deesse officio tuo scommatum & dicteriorum metu. Vix verbulum ferre potes, quomodo restitisses Tyrannorum blanditiis, minis & suppliciis? quæ omnia primi Christiani, tam fortiter ac tam alacriter vicerunt.
3. Cave ne quempiam à divino obsequio dicterioris, & jocis avoces, qui alios seducit, probat, esse se filium Dæmonis, rapit gloriam Deo, & gratiam homini. Cave impiè jocantes, & retrahentes à piis operibus

bus, ut affectas diaboli: pié & sapienter age, & noli  
 desipere in gratiam stultorum. An existimas, te pos-  
 se effugere, quod non effugit augustissima Trinitas?  
 loquantur illi, ac sentiant de te, quidquid voluerint.  
 Quid ad te? in bonam partem accipe. O *sancta Trini-  
 tas? nec tu stultorum linguas prorsus effugisti.* Greg. Naz.

## MEMORIA CRUCI- FIXI BERYTHENSIS,

9. Novembr.

*Rursum crucifigentes sibimetipsis fi-  
 lium Dei, & ostentui habentes.*

S. Paul ad Hebr. c. 6.

**N**imirum facilè Christo cum Carpo ho-  
 die credemus, velle illum iteratò pro  
 nobis mori, si modo vivere nos velimus. Be-  
 rytus civitas est Tyro & Sidoni contermina.  
 In hac sub annum DCCLXV. habitare inter  
 spinas lilia, hoc est inter Hebræos Christianos  
 vidisses. Et fortè Christianus ædibus suis Ju-  
 dæo cessit alioque migravit, oblitus secum  
 ferre nobilissimam & ab omnibus retro mayo-  
 ribus acceptam hæreditatem Christi imagi-  
 nem Cruci suffixam, opus ab artifice manu  
 ipsius Nicodemi commendandum. Spectasles  
 in nepotibus suis antiquos Servatoris hostes,  
 &

& non jam odii simulachrum sed ipsissimum veteris Impietatis bellum. Iterum Christus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum sputa volant, alapæ insonant, flagra crepant, spinæ se armant, clavi malleique intonant. Iterum fel & felle suo acerbior lingua lævit. Denique (ô coeli patientiam! iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberrasse existimes, iterum fons geminus sanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pellere, lepram abstergere, claudos in pedes erigere, ipsis denique sceleris auctoribus oculos ita aperire, ut tam cæci nuper, Fidei nunc lumen aspicerent, miraculo hoc gratiore, quòd urbs tot jam Longinos, quot paulò ante judæos numeraret.

*Ex actis Nicena Sin. II,*

MEDITATIO.

*Peccatores iterum crucifigunt Jesum Christum.*

1. **J**esus in Calvario monte semel passus est pro peccatis meis. Ita est, Domine, mea ipsius peccata te in crucem egerunt. Quid Judam, quid Caipham, quid Pilatum, quid Judæos accuso? cum ego ipse sceleribus meis Dominum Jesum occiderim. Ah! Domine, peccavi, & peccatorum meorum pœnam luis? Videre te non possum in cruce morientem, quin irascar

car pecc  
gemitib  
2. N  
mè, qu  
me mi?  
esse? Q  
co, lib  
actant  
3. F  
Christe  
runt,  
repugn  
ipse vo  
di pec  
sus: c  
in qua  
S.  
Ex  
lo  
e  
t  
M  
R  
car

car peccatis meis; quin te amem, quin lachrymis, & gemitibus dolorem meum palam faciam.

2. Non semel, quidem te in crucem egi sed sæpissimè, quoties nimirum lethale peccatum admisi. Animi mihi? parùmne est, Jesum semel tam gravia passum esse? Quid? vis eum rursus crucifigere ut servias amico, libidini, voluptati? O crudelis voluptas, quæ tot tantos dolores affert Christo Jesu?

3. Hoc ultimum crucis genus primo gravius est, & Christo injuriosius, quòd ab iis qui rectè illum nòrunt, sæpiùs in omni terrarum orbe, & ipsi maximè repugnanti infligatur: olim semel oblatus est, quia ipse voluit, nunc frequenter invitus affigitur cruci. Audi peccator? quid in intimo corde exprobrat tibi Jesus: *Cur me graviore criminum tuorum cruci quàm in illa, in qua quondam pependeram, affixisti?* Aug.

S. THEOCTISTA Virgo.

10. Novembr.

*Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Christus

Matth. cap. 13.

**R**ectiùs hoc die Lesbos Theoctistam, quam olim Sappho suam laudat. *Apage* deci-

W

decimam Musam, quæ Virgo non est. At  
 quam scribimus Theoctista, inter Virgines sa-  
 cras à primis annis educata Virginitatem e-  
 tiam ipsa spirat, gratissimum odorem illi cui o-  
 doratum mundus non abstulit. Et potuere  
 Theoctistæ libertatem eripere Arabes prædo-  
 nes, sed non pudorem proinde, ut qui nun-  
 quam expugnatur, nisi ubi à proditore animo  
 habitat. Itaque cum vivere inter latrones  
 animorum se videret, in silvas aufugit horri-  
 das & metuendas, sed fidas semper Virgini la-  
 tebras. Hic ad templi rudera castissima Sacer-  
 dos preces cœlo facere, corpusculum herbis,  
 animum cœli delitiis pascere. Tandem cum  
 annos vixisset V. supra XXX. & veste jam de-  
 fluente foliis pudorem tegetet, Venatori visa  
 est, pro monstro utique habenda; si vox & vit-  
 tus non prodidissent. Textit tunc suis vestibus  
 hic, & anno vertente Cibo Divino recreavit.  
 Sed cum à venatione denuò ad illam viseret,  
 exanimem reperit, & de tam nobilibus exuviis  
 manum sibi dexteram abstulit. Verùm cum  
 non nisi restitutâ hâc solveere è portu potuis-  
 set, narrassétque miraculum sociis, accurre-  
 runt hi venerabundi, sed nihil quidquam præ-  
 ter virtutis vestigia invenerunt. Dubitarem  
 à quibus ablatum corpus foret castissimum,

nisi

nisi tu  
 tina d

D

1. P

fruge  
 tiam  
 tari,  
 celo  
 utrū  
 Heu  
 tum

2  
 fun  
 hur  
 do  
 lic  
 ac  
 ric  
 m

ju  
 tu  
 b  
 e



nisi tumulari Virginitatem ab Angelis Catharina doceret. *Ex Metaphr.*

## MEDITATIO.

### *De bonorum & malorum permissione.*

1. **P**lacuit Deo, bonis malos hoc in mundo permiscere, tum, ut mali bonorum exemplo ad bonam frugem redirent, tum ut boni haberent, in quo patientiam, & alienæ salutis studium exercerent. Noli imitari, nec aspernari malos, quibus fortè nobilior in cælo locus, quàm tibi præparatur. Omninò nescis, utrùm graviora quàm ipsi crimina sis patraturus. Heu! si te tibi permitteret Deus, nullum est peccatum tam grave, quod non admitteres.

2. In hac vita mala bonis, & bona malis permixta sunt: nemo est tam miser, quin solatio vel cœlesti, vel humano recreetur, nemo item est adedè felix, quin dolore aliquo afficiatur. Perfectam hoc in mundo felicitatem frustra speramus, ii tantùm sunt felices, qui acquiescunt in divina voluntate. *Pauperes sunt, pauperie delectantur; lugent, lugere gestiunt, infirmi sunt, infirmitate latantur.* Salv.

3. Supremo Judicii die <sup>se</sup> præbuntur mali de medio justorum, hi à sinistris; illi à dextris collocabuntur: tunc justorum sanctitas, tunc malorum patebit improbitas. Virtutis simulator, quid tunc dicturus, & facturus es: Boni ad cœlos ascendent, mali ad infernum detru-

deudentur: & ubi ceciderit arbor, ibi erit in æternum.  
 Hæc meditare, & cum tempus est, consule animæ tuæ.

**S. MARTINUS Episcopus.**

11. Novembr.

*Vigilate, & orate, ut non intretis in  
 tentationem; spiritus quidem  
 promptus est, caro autem infirma.*

Christus Matth cap 26.

**E**Xistimaverat Martinus Neophytus etiam-  
 num, mediâ chlamyde suâ medium pau-  
 perem utcunque se texisse; sed in sequenti no-  
 cte totum eâ se vestisse Christum vidit: Pont.  
 Turonensis Divorum aspectu atque adeo fa-  
 miliaritate, Cœli præsertim Regina, inter  
 Theclæ & Agnetis comitatum, jucundissimè  
 perfruebatur. Bonorum Angelorum manu  
 palam adjutus, malorum fana & simulacra  
 subruit: Quanti Sacerdotii majestatem face-  
 ret, tunc ostendit, cum eam imperatoris an-  
 tehabuit, primùmque in epulo poculum præ-  
 bibens non Imp. Maximo, sed Sacerdoti suo  
 porrexit. Quin ipsam imperatricem famulam  
 ad mensam habuit, & tum hæc se basilicè vi-  
 xisse putavit, cum micis, quas reliquas fecit

Marti-

Martinus, vesci potuit. Orci præstigiatores, qui Christum ementitus, cætera habitu regio illi se obtulit, ita delusum demisit, ut diceret, alium nullum Christum se nosse, præter Crucifixum. Venienti ad se cùm Imp. Valentinianus assurgere negligeret, facere hoc assurgens è sede flamma coëgit. Extremum æger in fugam iterum dæmonem malum egit, uti lubens moriturus, ita ad majores labores, si Numini placeret, porrò victurus. Sed placuit huic Martinum inter beatarum mentium plausus cantusque ad se evocare; Conditionis tamen suæ memor non nisi cineri incubans mori voluit. At ex hoc cinere suus cælo Phoenix prodiit. *Ex Sulp.*

M E D I T A T I O.

*De vita S. Martini.*

1. **T**antâ reverentiâ Deum colebat, ut nunquam voluerit in templo sedere: causam sciscitantibus respondebat, contremiscendû esse coram suo Judice. Quo honore, quo corporis habitu colis Jesum in Eucharistia? ibi divinitas corporaliter habitat, ut audiat preces tuas, tuâque faciat postulata; non autem ut videat impietatem, & immodestiam tuam.

2. S. Martinus oratione, jejunio, cilicio, & aliis id genus austeritatibus cœpti cujuslibet felicem exitum impetrabat; iis austeritatibus utaris oportet, si talem velis rerum tuarum finem. Deus jejuniiis, eleemosy-

nis, & aliis piis operibus exoratur. Experire, confuge ad Deum in omnibus negotiis tuis, eaque ipsi commenda. Si nimium fidas prudentiæ ac viribus tuis, res tuæ non prosperè cadent. *Ne innitaris prudentia tua?*

3. Imminente morte, S. Martinus eo propemodum Spiritus fervore Deum orabat, quo orasset, si fuisset validis ac integris viribus; tunc indutus cilicio, humi in cineribus jacebat: Par est, inquiens, ut armatus moriatur miles. Nihilotamen minus ad eum tentator accessit: unde intellige, ad ultimum usque spiritum praliandum esse. Pœnitentiâ & oratione vincitur Dæmon, si tamen in utraque ad ultimum usque spiritum perseveretur. Petr. Bles.

## S. MARTINUS Papa & M.

12. Novembr.

*In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrigit pater.*

Paul. ad Hebr. cap. 12.

**M**artinus Tuderti in Umbria, novâ lux mortus, vix Romæ in S. Petri cathedra collocatus est, cum, quod pastoris officium est, errantem Arriana hæresi ovem, Paulum Bizantii Patriarcham, reducere conatus est & sanare; at ille, non jam ovis, sed, sub|ovi-  
na

na adhuc pelle, lupus, missos à Pontifice légatos, violato gentium jure, ad desertas insulas, ululante secum Constante Cæsare etiam Arriano relegavit. Nec nisi ad acuendas iras profuit, habito Romæ consilio, Paulum condemnasse: id enim injuriam suam interpretatus, fautor damnati, Cæsar, Olympium exarchum misit, qui Martino aut mortem aut vincula inferret. Et cecidisset ad sacram aram cruenta victima Pontifex, nisi stricto ferro jam imminens percussor vindice Deo excecatus corruisset: quod Olympium quidem movit ut deprecaretur destinatum facinus. Constantis tamen furorem non sedavit, qui sanctum fraude circumventum & Constantinopolim abstractum in Chersonesum ejecit, ubi inter ærumnas, ob Religionis defensionem exul consumptus, lauream Martyrii obtinuit, hæresi triumphatâ. *Ex Brev. Rom.*

## M E D I T A T I O.

### *De pœnis peccati.*

I. **D**eus ita odit peccatum, ut graviter illud puniat in ista, & futura vita; in ista quidem peccator gratiâ spoliatur, ab eo recedit Spiritus sanctus, ex filio Dei fit filius Diaboli; amittit jus adeundi hæreditatem Patris cœlestis, & ipsi planè inutile est, quidquid boni fecerat ante peccatum. Quid multa? peccator est

est inimicus Dei. Heu! quàm metuendum est lethale peccatum, cum tot bonis hominem privet, tótque objiciat malis.

2. In futura autem vita mortale quodcunq̄ue peccatum æternis ignibus punietur: ita est, quisquis lethalis noxæ conscius obierit, nunquam Paradisum, nunquam Deum visurus est, imo verò in omnibus corporis partibus, in omnibus animæ facultatibus igne durissimo cruciabitur, nec ad tempus quidem, sed in æternum. Jam dæmones sustinent, jam damnati hujus ignis acerbiter patiantur, & patientur per æternitatem; nec injuriâ nam æquum est, ut æternum crucientur, *qui voluissent sine fine vivere, ut possent sine fine peccare.* Greg.

3. Nihil dæmoni jucundius, nihil Jesu, nihil Mariæ, nihil sanctis omnibus molestius nihil tibi calamitosius feceris, quam si commiseris peccatum. Me miserum? quid ego, qui me tantum amo, volens ac lubens ruo in barathrum? Heu! ut placeam dæmoni, qui toties me malè habuit.

## S. STANISLAUS KOSTKA.

13. Novemb.

*Fidelis Deus, per quem vocati estis in  
Societatem filii ejus, Jesu Christi  
Domini nostri.* Paul. I. ad Cor. I.

Sta-

**S**Tanislaus ex illustri apud Polonos Koska-  
 rum familiâ cum Viennæ Rhetoricæ ope-  
 ram daret, Mariam ferè laudandam sibi sum-  
 psit, latum videlicet Oratori campum. A fra-  
 tre majore etiam verbera passus non tamen  
 ideò minus aut virtutem coluit, aut sacrum  
 epulum frequentavit, ad quod semper pridia-  
 no jejunio famem acuebat. Inde hoc ipsum  
 agro, cum ter irruentem in se Stygis Cerbe-  
 rum Crucis signo fugasset, D. Barbara inter  
 Angelos ministravit; mox ipsa Mater languen-  
 tem recreavit, collocato puero Jesu in decum-  
 bentis lectulo; abiens deinde monuit, Socie-  
 tati Jesu nomen daret. Cui rei cum obicem  
 posituri essent frater ac parentes, fugâ elapsus  
 Dilingæ in Convictorum ædibus tam nobilis  
 hospes Mediastinum egit: Romæ in Societa-  
 tem receptus iis divini Amoris facibus arsit,  
 ut recreare frigidâ pectus æstuans fuerit neces-  
 se. Itaque coelo jam maturus cum prælegi sibi  
 Patronorum nomina (Menstruorum præci-  
 puè) jussisset, nunc in Jesu effigie vulnera,  
 nunc in Mariæ ubera deosculans, & utriusque  
 nomina inclamans expiravit, pridie Virginis  
 assumptæ; quam num amaret rogatus, quid  
 ni, inquiebat, Mariam amem Matrem meam?  
 ita enim eam appellitabat novos semper de il-

lâ titulos & magnifica verba excogitans. Utrique igitur Maria mater Stanislai, sed & filius Stanislai Mariæ fuit. Utinam plures fratres numeraret. *Ex Franc. Sacchino.*

M E D I T A T I O.

*De vita S. Stanislai.*

1. **H**ic sanctus Adolefcens pietate erga Mariam, affiduo pœnitentiæ, & Eucharistiæ usu, carnis maceratione illibatam confervavit puritatem. Ni pietati, ni mortificationi deditus fueris, brevi puritati tuæ jacturam facies. Hæc duo requiruntur ad sanctitatem, pietas & mortificatio: primâ conjungimur Deo, alterâ sejungimur à rebus creatis.

2. Cum esset in tyrocinio Societatis Jesu, eo prope modum ardore pœnitentiam complectebatur, quocumque complexus esset, qui alias fuisset omnium sceleratissimus. Si per gratiam Iesu Christi solutus es vinculis hujus sæculi alia solve vincula, quibus tibi ipsi alligaris. Vince te ipsum, qui mundum vicisti. Vincenti se dabitur palma immortalis. *Non enim tum vincit, cum exiit athleta, qui idem nudatur, ut incipiat dimicare: cum legitime certaverit, coronandus. Paulin.*

3. Stanislaus ardore divino consumptus est, sine dolore, sine timore, sine tristitia: non ægrè parentes, divitias, voluptates relinquebat: quippe jam dudum eareliquerat omnia. Imò cum incredibili suavitate prægustabat paratam mercedem iis, qui relictis omnibus secuti sunt Dominum Jesum. Religionis via, quæ transit angusta est, non diffiteor, at ducit ad cœlum;

lata



lata & facilis est mundi via, at ducit sæpè sæpius ad infernum.

S. LAURENTIVS Episc.

14. Novemb.

*Charitas non emulatur, non agit perperam.* S. Paul. 1. ad Cor. cap 13.

Parentem Laurentii nostri fuisse ajunt Mauritium inter hyberniæ proceres latissimè imperantem. Ob id cùm oculi Regi Dermicio dolerent, Mauritiuſ fidei suæ obsidem in filio, quem natu minimum & charissimum habuit, animum dedit. Et poterat suavissima pueruli indoles barbarum licet cujusvis peccatus expugnare. Unus Dermicius Rex gratulatus sibi est, quod ægrè denique patri in filio posset facere. Quare innocentissimam animulam vinciri jubet & in Insulam desertam asportari squalore & sordibus reo utique quam obsidi similiorem. Subjecit ea res justas iræ faces Mauritio, ut è satellitio regio duodenas etiam ipse vinc̄tos abduceret morituro filio, nisi in tempore hic redderetur, omnes uni parentaturos. Mitius proin habitus, & in sacrorum hominum sinu eductus. Abbas Gлиндalacensibus, tum Dublinensibus Archiep. datus,

datus, denique à Pont. ad omnem Hyber-  
 niam legatus est. Ergo omnium primo mores  
 Canonorum in pejus prolapsos ad Major-  
 rum Regulam corréxit, sui etiam severissimus  
 Censor. Nam corpus cilicio vestivit, & ter  
 quotidie flagellari à familiari servulo voluit,  
 carneque sibi, quo ad vixit, interdixit. Interim  
 ex egentibus nunquam pauciores, Triginta  
 quotidie convivas habuit, satis ipse jucundis-  
 simo hoc oculorum epulo pastus. Ultimò  
 dum pacē pacisci inter Henricum Anglorum  
 & Deriogum Hybernorum reges laborat, ab  
 hoc Hyberniâ proscibitur, & in Nortman-  
 nia moritur, reperit in exilio patriam.

*Ex Lipeloo.*

## M E D I T A T I O.

### *De Invidia.*

1. **C**hristiano nihil vitandū magis quam invidia ut-  
 pote quæ extinguat charitatem, humilitatem  
 pellat, & animi perturbet tranquillitatem. Invidus ini-  
 micus est Dei, proximi, & sui ipsius: infelix est alienā  
 felicitate & sibi, & aliis nocet magis. *Quicumque es in-  
 vidus, nullius magis, quàm tuæ salutis es inimicus.*
2. Corporis, animi, fortunæ, & gratiæ bonis vul-  
 gò invidetur. Ast quæ dementia est, iis invidere, quæ  
 frater noster, vel accepit à Domino, vel affiduo labo-  
 re sibi comparavit? terrena quidem ipsius bona indi-  
 gna sunt, quibus cupiditatis oculos Christianus adjiciat

ciat, cœlestia verò humilibus, non invidijs concedun-  
tur.

3. Ut livor penitus exsiccetur, à fonte repetendus est, emanat autem ex superbia, & refrigerente charitate. Adhæc considera, quot ex invidia molestiæ? quot crimina? corpus exedit, mentem inquinat, famam maculis aspergit. Infelix, bonos imitare, & bonis non invidebis, vel si non potes eos imitari, gaude saltem, & lætare, quòd studeant sanctitati, & rectâ viâ currant ad cœlum; hâc lætitiâ in partem venies eorum virtutis. *Bonos imitare, si potes, si non potes, collaetare.* Cyprianus.

## S. MACLOVIVS Episc.

15. Novemb.

*Securis ad radicem arborum posita est, omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Matth. c. 5.*

**M**iraculum an Maclovium dicam, cujus tota vita prodigium fuit Festa Anastasi Christi dies ei natalis fuit, & eadem aliis in vicinia pueris XXXIII. qui, ne miraculum abesset, omnes & singuli, cùm adolevisent, unius cum Maclovio cœnobii religiosi effecti sunt. Puer adhuc ad littus cùm dormiret, ne maris subita

subita eluyione mergeretur terra, quã jacebat, excresecens in insulam, sicca inter aquas se extulit. Aliam vivamq; insulam pro ara & sacrificio in Paschate usurpavit missam in ea celebrans, de quã cum navem reperissent, non terram sed ingentis balenæ tergum fuisse, mergente se bellua, attoniti omnes adverterunt navigantes. A parentibus, qui ad asceterium redire gestientem, inhibitis nautis retinere volebant, ipse Servator noster, in pueri forma, adducta navi ad coenobitas abduxit. Taceo eum illic prunas in sinu candentes innoxie gestasse, excitasse mortuum, à morfu serpentis sanasse, cum Alethæ in Britannia Episcopus esset, quod solum in sanctis mirum non est, multa est passus, sed vindice coelo flagellati persecutores, & ipsa ingratis terra emarcuit, fruges non datura amplius, nisi, monitu Angeli, post reditum suum, inique ejectus, agris bene precatus fuisset. Ita Maclovius inter adversa centum & triginta annis pervixit; tu delicate quamdiu vives.

*Ex Sigeberto.*

## MEDITATIO.

### *De Otio.*

- O**tium fuge tanquam originem malorum omnium, & semper vaca operibus, tuæ vocationi congruis. Si quando, expleto penso, aliquid ti-

bi superest temporis, vel ora, vel lege pios quosdam libros. Pretiosissimum est vitæ brevioris tempus. Quid non agerent damnati, si vel minimam particulam haberent temporis, quod teris, & quo immortalens tibi coronam facillè posses comparare? age, bonum operare, dum tempus habes, & *tempus non eris amplius*. Apoc.

2. In quo consumis ætatem tuam? nunquid sæpissimè otiosus es? Cave, Deus repetet rationem temporis, labore vacui; nunquid aliquando das operam rebus, quæ alienæ sunt à vitæ genere, quod profiteris? imò, nunquid sæpissimè neglectis salutis occasionibus, in peccatis diem ponis? quæ est partitio temporis tui? quid tribuis Deo? quid voluptatibus? quid mundo:

3. Certam habeas temporis distributionem, An æquum est, semper corpori, animæ nunquam, semper mundo, nunquam Deo laborare? Pie & jucundè vivet, qui Deo semper, & coram Deo laboraverit, imò ejus labor erit jugis oratio. Incumbe semper in aliquod opus, ne tempus habeas tentationes Diaboli audiendi. *Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum.* Hier.

**S. ALBERTVS  
MAGNVS.**

16. Novemb.

*Regnum DEI intra vos est.*

Christus Luc. 17.

Al.

**A**lbertum, quem nobis Lawinga Suevo-  
 rum dedit, magnum fecit Virgo magna,  
 in cuius clientelam parvulus se dedit. Atque  
 hæc adspectabilis Alberto, monuit ad D. Do-  
 minici castra transiret. Ivit Albertus; Verum  
 quòd indolem ad studia tardiolem attulisset,  
 penè stationem suam Tiro deseruit. Jam fu-  
 gam paranti & scalas admoventi Cæli scala  
 Virgo iterum se objecit, utque animos Alber-  
 to faceret, iussit inter omnes & sacras & hu-  
 manas scientias ejus optionem facere, quæ  
 maximè animo arrideret. Ille continuo Phi-  
 losophiam expetiit. Ne tamen sibi hanc ad-  
 scriberet, repetituram se dona sua olim Virgo  
 edixit. Itaque Albertus ille nuper omnium  
 risus per omnium ora nunc volare, Do-  
 ctorque primum Hildeshemii, tum Ra-  
 tispone, Luteriæ deinde Parisiorum,  
 Colonia Agrippinæ, famâ nominis Or-  
 bem implere. Sed omnia dixerò, si D. Tho-  
 mam unicum sanctioris Doctrinæ Magistrum,  
 fuisse discipulum Alberti dixerò, qui insulam  
 Ratisponensem cum primum potuit cum li-  
 bris suis mutavit. Sed ecce tibi dum in ultima  
 senectâ orbis hoc oraculum responsa fundit  
 subito deficiente rerum omnium memoriâ,  
 obticuit, vivumque è schola funus discipu-  
 lorum

orum corona domum cum lacrimis deduxit, quas ille etiam toties fudit, quoties aures Mariæ nomen pulsaret. Porro quotidie ab hinc tumulum suum contemplari solitus, inscendit denique hunc Anno M. CCXC. Vivit tamen hodie etiam in libris suis, & eruditionis suæ fontes ubera Virginis laudat. *Ex Bay. S. Radeti*

## MEDITATIO.

### *De cultu interioris hominis.*

1. **A**t tigit perfectionis verticem, quisquis novit, animam suam rectè colere, & instituere. In anima, non in corpore virtus posita est; nemo potest vim afferre libertati animæ nostræ. Quomodo uteris tuâ libertate? quomodo tibi ipsi moderaris? Perpetram officia, & occasiones causarum, quippe, cum in quolibet vitæ genere, imò inter impios, benè ac piè vivere possis.

2. Quantâ diligentiam colis animam tuam? quantum quotidie temporis tribuis culturæ tanti momenti? Interroga conscientiam tuam, & fortè arcano murmure respondebit: Queror, quod durius mecum agas, quam cum corpore? huic enim omnia mihi nihil concedis. Quotidie tantisper meditare, quid possis, & quid debeas agere pro salute animæ tuæ.

3. Anima est negotiorum summa, & illud unum necessarium, à quo felix aut infelix æternitas dependet: facilius nihil est eâ salute, utpote, quæ sit in manu nostra. Non potest quilibet dives, doctus, ingeniosus,

X

&amp;

& sanus esse, sed potest quilibet esse sanctus. Fac, quod in te est, & Deus tibi gratiam non denegabit. *Disrumpamus inanium curarum vincula, quorum succedentibus sibi nexibus implicamur.* Eucher.

## S. GREGORIUS Episcopus.

17. Novembr.

*Hora est, jam de somno surgere.*

S. Paul. ad Rom. Cap. 13.

**I**lle est Gregorius, cui nomen infula Turo-  
nensis fecit. Parentes illi è prima nobilitate, nutrices à teneris annis Musæ fuerunt, quibus vicem ille tam postea rependit, ut nesciam plusne ille Musis, an Musæ illi debeant. Puer vitam, quam à patre acceperat, bis eidem reddidit, nec sine miraculo, cum medicinam morituro nunc nomen Jesu ligno inscriptum, nunc alter Tobias piscis exta adhibuit. Ipse quoties ægrotavit (& ægrotavit sæpiuscule) è coelo medicos vel D. Eligium vel Martinum habuit, cujus vitam rectè in templorum parietibus sed multò rectiùs in animo suo depinxit. Sub noctem virgini sacram, Ædem hujus frequentari ab Angelis cum multo lumine vidit & portâ sponte suâ reſeratâ ipse etiam admissus est. Tam charus coelo castigatus



tus scilicet ab hoc non semel est. Etenim somnum dormientis in Natalitia Christi nocte Angelus a lapâ discussit. Tam non possunt ferre Superi Episcopum dormientem! jam simul ac lapsus est in nescio quam gloriolæ vanæ cogitationem, equus etiam ipse lapsus sub Gregorio reprehendit Gregorium. Itaque impotenter miracula, quæ plurima patrabat, non sibi sed Divorum lipsanis, quæ ferebat, adscripsit. Congressus Romæ cum Greg. Pont. cum hic viri staturam (multum animo minor erat) tacite miraretur, non nescius arcanarum cogitationum noster Dominus dixit, fecit nos, non ipsi nos. Itaque maximè deinceps Gregorium ipse etiam Magnus Greg. fecit.

Ex Surio.

MEDITATIO.

*Vita hominis somno comparata.*

i. Somnus noster qui plerumque jugis est deceptio, ut mortis; sic vitæ imago jure dici posset: in somno timemus, ubi non est timor, fingimus nobis spectra, latrones, naufragia; in vita pariter timemus paupertatem, dedecus, morbum, dolorem. Exergilcere, surge, qui dormis, atque gratiæ & fidei luce videbis, nihil timendum esse præter peccatum, & omnia bona, quæ prætereunt, vana prorsus & nulla esse: *Confidera, quia nihil est quod sine concluditur.* Greg.

X 2

2: Dor:

2. Dormientes timenda non timemus etenim, quamvis sicarius stricto gladio ad lectum accedat, tranquilli dormimus, quoniam eum non videmus; ita peccator nec Deum, nec mortem, nec iudicium, nec infernum timet, quia ea omnia non considerat. Patrum, aut nihil de futuris calamitatibus sollicitus, timet duntaxat malum praesens, quod nimirum & videt, & sentit.

3. Plerique peccatores tantum imminente morte expergiscuntur. Eo temporis puncto vident illi quidem, quam vanus fuerit eorum timor, quam falsa & crudelis voluptas, sed serius excitantur, serius aperiunt oculos, cum tunc temporis vix possint laborare. *Iam hora est de somno surgere; laboremus cum possumus, neque nobis dicatur, quod de viris divitiarum: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis David.*

---

S. O D O Abbas.

18. Novembr.

*Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Christus Matth. cap. 12.*

**O**fficio suo fungi patres à patre Odonis discant. Unicum & vix natum filiolum è cunis

è cunis inter brachia in cœlum sustulit, Divó-  
 que Martino & sacris devovit. Dixisses assen-  
 sum infantem, ita non tam lac maternum,  
 quàm erga Martinum amorem suxit, qui scili-  
 cet cum puero deinde crevit, dum literis ex-  
 cultus inter Canonicos Turonenses est coop-  
 tatus. Sed cum tunc etiam vanis poëtarum  
 (& Virgilii præcipuè) commentis plus quàm  
 piis commentationibus vacaret, per somnum  
 vas vidit cum primis elegans, sed serpentibus  
 plenū. Monuit scilicet iterum cœlum, quod  
 ipse Maro, anguē ut juvenus caveat in herba  
 latentem, dum fraga legit. Noster deinceps  
 precibus ad D. Martini noctes invigilavit,  
 quò sapius euntem cum ex itinere vulpes in-  
 festarent, mirum dictu suppetias contra has  
 lupus tulit, idem deinde Odonis hospes æ-  
 diumque non ridiculus jam custos. Sub hæc  
 dum Luteriæ Parisiorum amplius literis ope-  
 ram navat, ab ipso Greg. Pont. noctu cala-  
 mum dono accipere visus est, quo Magni Do-  
 ctoris Moralia, ut ajunt, sparsa omnibus li-  
 bris in unum corpus colligeret. Jam Mona-  
 chus laboravit tam diu, quoad Monachum  
 etiam pater; Mater velum indueret inter Vir-  
 gines. Abbas Gigniacensis mox Cluniacensis  
 miranda & fecit & passus est, dum collapsam

monasteriorum disciplinam erexit. Ad extremum æger Romæ imperavit ut redire in patriam liceret. Ibi denique vitam posuit ubi accepit, ad D. Martini tumulum. *Ex SUR.*

M E D I T A T I O.

*De Verbis.*

1. **N**Unquam vel benè, aut secùs de te loquaris, nisi si jubeat charitas, aut obedientia. Quemadmodum enim putida & fucata videtur humilitas vitia sua narrantis, sic intolerabilis est vanitas buccinantis sua præclare gesta, & suas cum naturæ, tum gratiæ doctes deprædicantis. Displicet laus propria in ore viri, maximè Christiani. *Laudet te alienus, & non os tuum.* Prov. 27.

2. Ne dente maledico fratrem carpsferis, neminem accusaveris, aut condemnaveris. Loquere in bonam partem de omnibus. In quolibet homine, in quolibet facto inest aliquid boni; quod bonum est laudato, cætera fileto. Domine, accende me spiritu fraternæ charitatis? nunquam Domine, nunquam dicam de proximo meo, quod de me dici nollem.

3. Cave tamen, ne dum obtrectationem declinas, in adulationem prolabaris. Si per authoritatem peccantem arguere minùs possis tace, nec assentatoris & officiosis verbis ejus peccato blandiaris. Ama veritatem, à qua nec transversum digitum discedas. Ut in verbis toties non offendas, loquere parùm, & meditatè. Deum ora, ut ponat custodiam ori tuo. *Homi-*

nis est animam preparare, & Domini gubernare linguam:  
Prov. 16.

## S. ELISABETHA Vidua.

19. Novembr.

*Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum caelorum: Sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est. Christus Matth. cap. 7.*

**A** Ge superbe, qui deficiente animo Elisabetham ad Servatoris Christi effigiem vides, audi etiam quæ dolor intus loquitur. Nimirum me terra pulvisculum purpura involuit, tu mihi Christe, heu? nudum meam erubescis vicem. Mihi corona auro & gemmis tibi spinis & sentibus riget. Ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumspicis nec, eheu? invenis. Me aulae servitia vallant, te soli hostes stipant. I, purpura, rectius sanguis me Sponsi pinget, Ite gemma, nobiliores sub cruce lego. Abi gravis auro corona, rosas è spinis nectam Tollite pulvillulos, Crux, Sponsæ erit lectulus. Secedito amicorum cohors, dolores me rectius ambient. Hæc inquam tantum apud Elisabetham potuere ut jam se ipsa superbior omnem pedibus Mundum subderet, Istamque miserorum se servitiis addice-

X 4

ret

ret. Ergo extructio quam amplissimo Xenodo-  
chio ingentis familiæ mater non gentis quo-  
tidie victum ipsa ministrare, aquam capiti pe-  
dibusque affundere, sordes abstergere, ipsa  
adeo foedissima ulcera nobilissimis osculis ho-  
norare, quid? quod conjugè è vivis erepto,  
arce pulsa omnes injurias ipsamque famem  
forti animo concoxit, damnatisque regiis fu-  
sis pulchriora sibi ipsa è cœlo nevit: interea a-  
pud Deum omnia potuit, & matrem exemit  
è piacularibus flammis. Juvenem verò nu-  
per ab impuris ignibus ardentem sanctioribus  
cæli amoribus tantum non emori fecit: Mo-  
rienti ut aliàs sæpe Christus adstitit, & acci-  
nuere cælites aviculam induti, &c.

M E D I T A T I O.

*De vera felicitate piorum in hac  
vita.*

1. **S**I qua felicitas est hoc in exilio, ea ex tribus potis-  
simùm fontibus manat 1. ex bona conscientia.  
Enim verò, qui sibi benè conscius est, lætatur vel in  
adversis, qui male, vel in prosperis cruciatur. O!  
quàm suave est posse dicere: Domine, nihil omisi, ut  
inirem gratiam à te. An hoc diceres probante con-  
scientiâ? Quid tibi conscius es?

2. Alterum nactus est felicitatis fontem, qui divinæ  
providentiæ penitus se credit: cui idem est, & velle,  
&

& nolle cum Deo, qui que habet bona & mala in divi-  
norum beneficiorum loco. Vix laborem sentit, qui  
libenter patitur. *Labor, jejunium, infirmitas, non sunt  
onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus.* Salvian.

3. Tertius fons felicitatis est consideratio consilio-  
rum Dei. In omnibus, quæ tibi accidunt, aliud est  
Dei, aliud Dæmonis consilium. Quid spectat Deus,  
cùm morbum infligit? Vult nimirum, ut mortis me-  
ditatione, & spe Paradisi, morbum patienter feras.  
Quid Dæmon? ut conqueraris, & iniquo animo pa-  
tiaris. *Deus adè est bonus, ut nullo modo permetteret ma-  
lum, nisi adè esset potens, ut ex malo faceret bonum.* Aug.

## S. EDMUNDUS Rex.

20 Novembr.

*Filii hujus sæculi prudentiores filiis  
lucis in generatione sua sunt.*

Christus Luc. c. 16.

**A**lter Edmundus Rex est; altera Angliæ  
gloria. Hic Anno DCCCLXX. cùm  
Jugar Daniæ Rex, vastitate Angliæ ingenti il-  
latâ, misisset, qui regias gazas veluti suæ jam  
Victoriæ præmia, nî totas mallet amittere,  
dividere secum juberet, fortiter respondit.  
*Nulla se latronibus stipendia numerare solitum liberum se &  
regem meminisse, neque aliter, cùm vires starint partiturum  
divitias suas, quàm ferro fuisse Nunc post lacerum regni cor-*

X 5

pus

pus quid capiti parceret? plebeio sanguine huc usque ebruum  
 rectius regium haustum. Tum denique se extindō totam  
 hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam & vin-  
 dictam reperturum. His in majores jam iras versus  
 Jugar captum non regiis catenis oneravit; fla-  
 gris deinde servilem in modum acceptum sco-  
 pum esse militum sagittis jussit; demum ca-  
 put auferri, aliter à coelo jam coronandum.  
 Porro hoc feris in pabulum inter dumeta ab-  
 jectum præclarus jam denique custos lupus  
 tutatus est, & cū caput sua voce se quæren-  
 tibus prodidisset, etiam funus moesto ulula-  
 tu prosecutus scribitur. Tyranno in lupum  
 abeunte, lupum in hominem rediisse dixisses.  
 Sed & caput corpori suo redditum integrum-  
 que à tabo longè post repertum ajunt; quin  
 barbæ capitique pilos succrescentes quotan-  
 nis detonsos esse. Et dubitabimus porrò vit-  
 tutem etiam post mortem vivere? *Ex Surio.*

M E D I T A T I O.

*Vita nostra Evangelio sit conformis.*

I. **C**hristianæ prudentiæ est, vitam dirigere ad E-  
 vangelii normam, & omnia fidei lance ponde-  
 rare. Politicus, medicus, orator diligenter observant  
 artis suæ præcepta, solus Christianus artis suæ leges  
 negligit. Se profitetur Evangelii Discipulum, & vi-  
 tam vivit Evangelio contrariam. Heu! quàm impru-  
 dentes



gentes sunt Christiani hujus ætatis? *Christi Evangelia legunt, & impudici sunt, vitam improbam agunt, & legem probam habere se dicunt.* Salvian.

3. Unde fit ut ex divinis legibus non vivamus? ex eo, quòd rarò, imò nunquam divinas leges meditatur, nunquamvolvamus animo novissima nostra. Enimverò qui peccare possemus nimio divitiarum & voluptatum amore, si mortem instantè, si sequens judicium, si infernum, si paradisum seriò cogitaremus:

3. Quotidiè deberemus aliquam Evangelii veritatem meditari & unam nominatim seligere, quàm tantquam Symbolo uteremur. Alia aliis placuère Symbola. S. Francisco. *Deus meus & omnia.* S. Theresiæ *aut pati, aut mori.* S. Ignatio. *Ad majorem Dei gloriam.* Horum exemplo aliquam sacra Scripturæ, aut Patrum Sententiam in mente & in ore frequenter habeas qualis est *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.*

## PRÆSENTATIO

B. M. VIRG.

21. Novemb.

*Nemo potest duobus Dominis servire:  
aut enim unum odio habebit & alterum diliget;  
aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis  
Deo servire, & Mammonæ. Mat. c. 6.*

**H**Eus! ad spectaculum hodiernum omnes  
 vos in orbe parentes voco, liberos om-  
 nes. Ne dubitate oculos adferre, cum ut hos  
 pascant, effundere se coelo & convolare Su-  
 peros videam, videam arridere, acclamare  
 audiam. Ecce Trimula Virguncula, Judææ  
 delictum, patris & matris Amor, Spes fami-  
 liæ unica, unica fessæ ætatis virga, hæc inquam  
 talis ac tanta è parentum sinu & brachiis non  
 ad Veneris alicujus gynecæum, non ad nup-  
 tias, quas cunis promittere amant patres, sed  
 ad castissima vota, ad templi adyta deprope-  
 rat, evolatque ad aram ipsa mox templum, ip-  
 sa Numinis ara futura. Assentiuntur interea  
 Joachimus & Anna & filia sibi que plaudunt.  
 Quid hic nostra ætas? nimirum pereat flos  
 Virgineus, ne stirps avita: intereat pudor, ne  
 familia. Lacrimentur Angeli, modo nepotes  
 rideant: Sit vacuum incolis coelum, modo  
 domus non hæredibus. Si quid pulchrum in  
 liberis, si quid ingenuum & liberale, aulæ hoc  
 debetur genio, mundi servitio mancipatur &  
 carnis amplexibus. At si quid monstri nasci-  
 tur, illud demum, ajunt, in claustra religiosa  
 (desertas insulas cogita) exportetur. Si quid  
 bardum, blæsum, luscum, claudum, hoc cel-  
 lã occultetur, silentio monastico corrigatur,  
 cucul-

cucullo abscondatur, togâ involvatur. Deus sibi habeat, quod nemo hominum velit. Christus domum ducat, quas thalamo omnes terræ filii excludunt, Erubescite Parentes, & ruborem vestrum in speculo, in vultu Ioachimi & Annæ hodie corrigite.

### MEDITATIO.

#### *De Presentatione Mariæ.*

1. **M**aria se devovet Deo, tertium agens ætatis annum, hoc est, ut primum, potest. Parentes Mariæ Deo reddunt, quod precibus acceperant à Deo. Beatus ille est, qui se Deo consecravit ab infantia sua, quid moraris? quid differs tuam consecrationem? Age, nunc tempus est, te tuaque omnia Christo devovendi. si enim te totum Christo dederis, Christus tibi se totum dabit. *Nec inutilis est commutatio, pro eo, qui est super omnia, omnia reliquisse.* Bern.

2. Hodie quidquid habet, quidquid potest, quidquid est, totam se demum offert Maria. An eam imitaris? tu, qui Deo concessâ minori cordis tui particulâ, totum ferè cor tuum, mundum inter & te ipsum partiris? nimis exiguum est cor hominis, ut possit ita dividi. Ah? Domine, serò te amavi, nunc tandem tibi confesco, quidquid sum, quidquid possum, corpus animam, omnia.

3. Maria non ad tempus, sed in perpetuum se devovit, nec egressura est è templo, quo ad ipsa sit templum animatum Jesu Christi. Nonne Deo promisisti  
fore

fore ut illi foli & semper, servires? sed (quæ tua igna-  
via est) promissis non stetisti. O virgo! offeras me,  
precor charissimo filio tuo; non committam deinceps,  
ut alteri serviam, *In Christianis non laudantur initia, sed  
finis.* Hieron.

S. CÆCILIA V. & M.

22. Novemb.

*Ecce! venio citò: tene, quod habes,  
ut nemo accipiat coronam tuam.*

Apoc. 3.

**S**I quæris, quod intercentibus Organis  
Scæcilia carmen dederit, illud respondeo,  
quod illæ quæ agnum sequuntur, Virgines,  
sciunt modulari. Itaque quo die homini in  
manus danda erat, nuptialem vestem cilicio  
astrinxit, quo nobiliorem Virginitas non ha-  
bet zonam. Noctu sponsum Valerianum mo-  
nuit, caveret pudori suo manus interre, cuius  
longè fortissimum Custodem è coelo Ange-  
lum haberet. Hunc coram intueri cum ille  
percuperet, suavit impuros à superstitione  
oculos sanctiori prius baptismatis un-  
dâ elueret. Eluit, & voti mox compos  
formosissimum multaque luce vestitum  
Ephëbum vidit, qui sermo nobili utrumque  
coro:

coronavit, & precantes miro odore perfudit.  
 Et fecit hic odor post Christum currere etiam  
 Tiburtium Valeriani Germanū, ambóq; ita  
 in stadio Christiano cucurrerunt, ut Bravium  
 Martyres obtinerent. Cæcilia è balnearum,  
 quas Tyrannus succenderat, flammis pul-  
 chrior, tribusque in collo vulneribus velut  
 totidem monilibus ornatior cum triduum  
 supervixisset, ædésque suas in templum ver-  
 tisset, martyrum vestigia velut paranympho-  
 rum insistens, cælum & ipsa petiit, & Agno  
 denique nupsit minimè sterilis Virgo, ut quæ  
 moriens uno partu Christo CCCC. peperit.

Ex Metaph.

MEDITATIO.

*De recto usu gratiarum Dei.*

1. **N**ulli non sufficit gratia, ad destinatam ipsi san-  
 ctitatem; & ea quidem gratia crescit crescente  
 cooperatione, ut in Valeriano videre est, qui à casti-  
 tate ad Baptismum, à Baptismo ad Martyrium gradum  
 fecit. Quot gratias rejicis? Quot spernis? *Omnes no-  
 bi causamur deesse gratiam, sed justius ipsa sibi queritur, de-  
 esse nonullos.* Bern.

2. Quædam gratiæ sunt propriæ vocationis unius-  
 cujusque. quæ iis duntaxat dantur, qui dignè ambu-  
 lant in vocatione sua: his gratiis sic dulcescunt jejunia,  
 labores, austeritates, ut pii homines vel in durioribus  
 pœnitentiæ laboribus contenti ac hilares vivant, dum  
 in

in divitiis ac voluptatibus gemunt ii, qui vel cœco ani-  
mi impetu, vel spe fortunæ amplioris, se induerunt in  
laqueos sæculi.

3. Si concessis tibi luminibus perperam abutaris,  
Deus movebit candelabrum, & alteri dabit gratias ef-  
ficaces, quas tibi daturus erat. S. Mathias in locum  
proditoris Judæ suffectus est, & accepit coronam,  
quam is sp̄ pseudo - Apostolus malè tenuerat, Quanto  
dolore conficitur miser, dum hæc cogitatio animum  
ejus subit? Nunc in cœlis inter Apostolos federem,  
si meæ respondissem vocationi. *O quàm admirabilis est  
Deus in trabendo? ò quàm terribilis in deserendo!* Aug.

## S. CLEMENS Papa & Mart.

23. Novembr.

*Inutilem servum ejicite in tenebras  
exteriores: illic erit fletus, & stri-  
dor dentium.* Christus Matth. cap. 25.

**P**Rodiit Clemens è D. Petri schola: virtu-  
tis primò Magistri, tum infulæ etiam hæ-  
res inter Pont. Max. tertius numeratur impie-  
tatis sub Trajano accusatus & in exilium ultra  
Euxinum Pontū deportatus munere suo nec  
in ea quidem fortuna oblitus est fungi, docuit-  
que bis mille Christianos, quos ad Latomias  
Tyrannus damnaverat, præter saxa è terra  
patien-

patientiam eruere, ad quam verbis & exem-  
 pio erexit & miraculis firmavit. Etenim cum  
 aquæ dulcis penuria laborarent, eamque pe-  
 tere per VI. milliaria cogerentur, Clemens è  
 proximo manare copiosam iussit, cum ipse  
 Servator familiarem sibi Agnum indutus dex-  
 tro pede & omine fontis indicium fecisset.  
 Porro cum aqua longè lateque miraculum e-  
 manavit. Et jam ad trecenta milliaria fana  
 Deorum evertabantur, undisque sanctis  
 quingenti quotidie tingebantur; cum deni-  
 que Procos: Aufidius Pontificem Anchoræ  
 illigatum in mare præcipitavit. Emicuit ta-  
 men ingens animus & ad portum cœli enata-  
 vit. Ad preces deinde Christianorum mare  
 cessit ad tria milliaria, structumque in imo à  
 Coelitibus Martyri templum tumulumque è  
 marmore ostendit, iterato quotannis dein-  
 ceptis hoc miraculo, quod auxit puer quando-  
 que à parentibus per errorem illic relictus an-  
 numque totum incolumis servatus. Frustra  
 igitur Tyrannus mergere laudes Clementis  
 mari voluit. Anchoram suam Martyr cœlo  
 fixit. *Ex Metaphr.*

## MEDITATIO.

*De Labore & Pigrizia.*

**D**Eus graviter in eos animadvertet, qui desides  
 Y fue

fuerint, & creditum sibi talentum defoderint. Homo natus est ad laborem, laboris tempus est brevissimum, illud tamen (quæ tua desidia est) miserè perdis: Das locum Diabolo, qui sanè nullas immitteret tentationes, si semper te inveniret occupatum. Heu! quàm multum temporis das cupiditatibus, quàm parùm saluti? nunc, nunc tempus est diligenter laborandi.

2. Pluribus ex capitibus manat hæc desidia, sed potissimum à desperatione successus, ab amore voluptatum, à difficultatum, & judiciorum hominum metu. Vide, unde tam diligenter opus mundi, & tam negligenter opus Dei facias. Ah! profectò non attendis ad tremendæ Majestatis Regem, cui servis, non attendis ad potentissimum Deum, qui afficiet præmiis diligentes & impigros, pigros verò & negligentes suppliciis. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Jerem.

3. Veniet tempus, cum non poteris laborare. Quid piger! fecisse velles, cum aderit hoc tempus? seriò meditare ultimum vitæ tuæ punctum. Considera piorum hominum exempla, & dandam tibi in cælo mercedem: te pœnitebit in terrenis tam studiosum ac tam inpigrum, in cœlestibus verò tam desidem ac pigrum fuisse. Greg.

---

## S. TRUDO Confessor.

24. Novembr.

*Beneficentia autem, & communi-*



*cationis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Paul. ad Hebr. cap. 13.

**I**N Hasbaniensi agro spinas inter, hoc est, di-  
 uitias patrias educatus flosculus Trudo suf-  
 focari tamen minimè potuit. Quin caput su-  
 pra nubes puer tulit, eoque altiùs quò pro-  
 fundius in se descendit. Iraque seruis suis  
 inservire Dominum Trudonem vidisses quam  
 virtutem ut tegeret, vilissimos corpori ve-  
 stiendo pannos iniecit. Porro omnia etiam  
 quæ per ludum egit, egit serio. Quare cum tu-  
 multuario opere & congestis temere saxis sa-  
 cellum extruxisset, futuri operis sui hoc typũ  
 & votum voluit esse, quod reapse postea in  
 provecta ætate persolvit. Placuisse & operam  
 & artificem puerum, cælum ostendit, cum  
 mulieri improbæ ædificium ludicrum distur-  
 banti oculos eripuit, quos tamen, ubi pri-  
 mum facinus animo vidit & agnovit, reddi-  
 dit Trudo Egenis tam favebat, ut suas cum  
 illis vestes communes haberet, & , ut illos in-  
 dueret, se his exueret. Talis Angelo bono ad-  
 hortante patriam fugit, & cælesti disciplinã  
 amplius erudiendus concessit ad Tungren-  
 sem Episcopum Remaglum, Profectum cæ-

lestes in vita radii, à morte odor & prodigia a-  
lia complura prodiderunt; ex quibus illud  
memorable imprimis est, quòd cognatum,  
qui contra vota cælo facta in thalamum Spon-  
sam induxit, virgâ castigavit per somnum,  
claudùmque reddidit adulterum Amorem  
patri suo deinceps Vulcano in hoc similem.  
*Ex Surio*

## MEDITATIO.

### *De Sancta Negotiatione.*

1. **S**I negotiator es elige in Patronum Divum Tru-  
donem, eumque diligenter imitare. Ac primùm  
memineris, salutem esse negotiorum summam. Non  
ad divitias, sed ad salutem natus es: huc referatur om-  
nis tua negotiatio; cuique probata sit fides tua: ne-  
minem decipias: nunquam mentiaris: nunquam peie-  
res, ut merces cariùs vendas. An is es, qui pecunias  
relinquendas æternæ anteponas salutem? Antiquior &  
prior tibi sit anima tua, quàm hæredes tui. Noli ani-  
mæ tuæ jacturâ bonis eos cumulare.
2. Non fides solùm in vendendis; emendisque mer-  
cibus Christianum negotiatorem decet, sed & chari-  
tas studiumque pauperes sublevandi. Abundas pecu-  
niis, da Eleemosynas crede aliquas pecunias pauperi.  
Habebis Deum debitorem, nam fœneratur Deo, qui  
miseretur pauperis. *Date [ait Christus] & dabitur.*
3. Ne te negotiis sic dedas, ut tempus non habeas  
vacandi salutem tuæ. *Manè Deum orato, Adesto sa-  
crificio*

crificio Jesu christi. Sub noctem ad calculum te vocato. Vide, an paratus esses ad reddendam rationem. Vide, utrùm, quæ possides, jure tua sint: sine mora dispone domui tuæ. Quid prodest pecunia, si pereat anima? *pereat mundi lucrum, ne fiat anima detrimentum?* August.

**S. CATHARINA V. & M.**

25. Novembr.

*Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Christus Luc. cap. 21.

**P**Alladem Christianam damus, Catharinam inquam, fortissimam Virginem & sanctorum Musarum dignissimam Præsidentem, non Ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalâam arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo in arenam descendere. Et facti sunt tot viri à Virgine se victos, & in flammâ abjecti, manus Deo, & palmam Catharinæ dederunt. Illuc Catharina etiam Imperatricem, quæ ad vincitâam inviserat, carce-

Y 3

rique

rique præfectum Porphyrium cum suis præ-  
 misit. Ipsa ultima cum Tyranno commissa  
 primas tamen abstulit. Nam carceris tene-  
 bras cur non suspexisset, in quibus præsentem  
 illi licuit Christum aspicere? jam verbera ac  
 plagas faciliè tulit, cum idem, ut promiserat,  
 robur suppeditaret. Negatum verò undecim  
 ipsos dies cibum potumq; etiam contempsit,  
 cum commeatus è cælo suppeteret. Quid? In-  
 geniosam in tormenta rotam, velut melior  
 fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis  
 ævi nostri Poëta ait) credidisses, nisi cum ca-  
 put ensis abstulit, Virginem lac, quod pro  
 sanguine fluxit, prodidisset. Meruit tanta vir-  
 tus ab Angelis in Monte Sina tumulari, & è  
 tumulo hodie etiam Catharina oleum terris  
 dividit; ut quod de sua Pallade finxit anti-  
 quitas, de nostra sine mendacio possimus affir-  
 mare. *Ex Metaphr.*

M E D I T A T I O.

*De vita S. Catharina.*

1. **A**B infantia suam Christo vovit virginitatem,  
 quam ut illibatam servaret, carnificis rotam,  
 folio Imperatoris longè anteposuit. O virtus suavissi-  
 ma? qua amici Jesu, filii Mariæ & similes Angelis su-  
 mus, & in terra cæli felicitatem prægustamus.

2. S. Catharina Virginum & Doctorum laurea do-  
 nata

nata est, utpote, quæ fidem docuerit, philosophos  
 vicerit, & reduxerit quam plurimos ad ovile Iesu Chri-  
 sti. Memineris, quod Deus scientiarum Dominus est. à  
 quo Catharina hausit scientiam. Tu qui diurno, no-  
 cturnoque studio tum corporis tum animi vires dete-  
 ris, ascende ad scientiarum fontem. Postula sapien-  
 tiam à Domino, & dabit affluenter. Verùm si quàm  
 Deus tibi scientiam dederit, eà uti debes ad tuam ip-  
 sius & aliorum salutem. An huc spectant vigiliæ tuæ?

3. Tertiam coronam adeptæ est, cum caput præbuit  
 carnifici; poterat quidem feliciorẽ vitam ducere,  
 quoniam pulchritudine, nobilitate, divitiis, ingenio  
 præstabat, & ejus nuptias ambiebat imperator; ea  
 tamen omnia flocci facit, ut moriatur pro Christo.  
 Tu verò, si cupis Martyrum coronã donari, macera  
 corpus, resiste voluptari, & avaritiæ, despice mundum:  
*nam carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiã restitisse;*  
*de mundo triumphasse, pars magna Martyrii.* August.

## S. CONRADUS Confessor

26. Novembr.

*Ego sum via, veritas, & vita. Ne-  
 mo venit ad Patrem, nisi per me.*

Christus Ioan. cap. 14.

CONRADUS Infulam Constantiensem acce-  
 pit à D. Udalrico Augustanorum Præsule.  
 Fuit cum uterque coenam frugalem san-  
 ctis

Y 4

ctis

Etis de Deo sermocinationibus aspergerent;  
 Et erat is dies Iovi dicatus; jamque protracto  
 ultra mediam noctem colloquio is expirave-  
 rat, Venerique cesserat; cum fores nuntius  
 pulsat, admittitur, auditur, & pernae frusto ab  
 in advertente donatus dimittitur. Nimirum,  
 agebat ille ad alios, hoc est, in Veneris odium  
 carnem edomare; simul carnem è sinu para-  
 bat producere, cum ecce piscem ostentat,  
 jamque pisce suo magis mutus se ipsum dam-  
 nat. Inambulabant aliàs animi causâ, & ca-  
 dētes ex alto Rheni aquas arbitrabantur; cum  
 geminas inibi animas volucrem indutas tor-  
 queri cognoverunt. Vix pro his ad aram fece-  
 runt, & ad cœlos visæ sunt evolare: Cæterum  
 Conradus priusquam obiret, Gebhardo no-  
 bili adolescenti sedem suam insidenti vates  
 fuit, sermō id post se facturum, quod nunc  
 per ludum faceret. Dum ad aram sacrificat,  
 delapsus araneus in calicem se infert. Quid fa-  
 ceret? eodem poculo & vita & mors propina-  
 bantur. Bibit tamen, & imperterritus à sacris  
 mensæ accumbit. Ibi omnibus admirantibus  
 ex ore araneus innoxius exit, meritò pedem  
 efferre iussus à mensa, quem invocatus intule-  
 rat. *Ex Membran, Eccl. Cont.*

MEDI-

## MEDITATIO.

*De Imitatione Jesu Christi.*

1. **J**esus est *via*, in qua ambulare debet, qui vult ad cœlum pervenire, Jesus Dux noster est, ejus vestigiis insistere debemus. Et per dolores, tolerantias, & humiliationes ad gloriam contendere. Fallitur quisquis aliam viam vel alium Ducem quærit. Ah! Domine, sequar te, quocunque ieris, ad hortum Olivarum, ad Calvarium montem, ad Crucem.

2. Jesus est *Veritas* impius est, qui sacra ejus verba in dubium revocârit. Dixit autem in Evangelio, beatos esse pauperes, lugentes, persecutionem patientes. An Jesu credis? an potius mundo secus sentienti, & contrarium Evangelium promulganti! *Aut Christus*, inquit S. Bernardus *fallitur, aut mundus errat*. Non falleris, Domine mi, sed mundus. Heu! fallacias ejus jam pridem novi, eum tamen amo, & ipsi credo?

3. Jesus est *Vita*, venit in hunc mundum, ut homines vitam habeant, non terrenis bonis refertam, sed cœlestibus affluentem; hanc autem dat potissimum vitam in augustissimæ Eucharistiæ Sacramento. Quâ præparatione accedis ad hunc vivum panem? Ah! si tam sedulò curas valetudinem, ut tuearis vitam, miseram illam quidem, & brevibus spatiis definitam, quid non agere debes, ut aliquando vitam habeas beatam ac sempiternam? *Si tantâ curâ agitur, ut aliquando plus vivatur quomodo agendum est, ut semper vivatur*, S. Aug.

# SS. BARLAAM ET JO- SAPHAT.

27. Novembr

*Facite vobis amicos de Mammona  
iniquitatis: ut cum defeceritis, re-  
cipiant vos in aeterna tabernacula.*

Christus Luc. cap. 16.

**E**Tiam Indis pulchra jam olim fuit juven-  
tus. Princeps hujus memoratur Iosapha-  
tus Regis Abenneris filius, voluptatibus ab  
ipsis cunabulis innutritus, & ne quid miseræ  
humanæ esset, vel nosse posset, procul ab o-  
culis aliorum, inter omnes illecebras educa-  
tus. In tam blando carcere agentem adiit Bar-  
laamus Eremi incola gemmarum Mangonem  
præferens. Certè nobilissimam illi gem-  
mam Fidem vendidit. Mox cum deambula-  
tum produxisset cupidum, in homine pri-  
mum mendico, tum leproso, in decrepito de-  
nique sene ad eum diem nunquam visis, mun-  
di vultum & e mentitum colorem, velut in  
minimè mendaci speculo ostendit. Labora-  
bat itaque necquicquam parens, vel ad Deos  
filium, vel ad voluptates iterum abducere.

Frustra



Frustra absente Barlaamo nescio quis impostor, qui vultum hujus quàm simillimè referebat, alia velle docere aggressus est, cum ita Numine volente palam pro Christo loqui lingua subdola cogeretur. Frustra & Theodas Magus ab Orco auxilia evocavit, & regia puella blanditias admovit, cum Iosaphatus ostensis ab Angelo cælitum & inferorum sedibus plaris Orci poenas, quam minas, plaris cæli gaudia, quàm carnis fallacias faceret. Tandem in meliorem sententiam cum patrè etiam abduxisset, hoc mortuo, regnum alteri cessit, & quam inter homines minus poterat, inter feras Angelicam vitam, annos V. supra XXX. vixit. Accepit tamen tumulū cum magistro suo in regia urbe, cui tunc primū mortuus videbatur, cum ille jam olim fuisset.

*Ex Ioan. Damasceno.*

MEDITATIO.

*De SS. Barlaam & Iosaphat.*

**S** Barlaam relinquit solitudinem, & mutato habitu in regiam irrepit, ut filium Regis edoceat Christianam fidem. Quàm ingeniosus est sacer amor? quid non molitur? quid non agit divinæ gloriæ, & humanæ, salutis causâ? Ah! si eo amore arderes, tu, qui tam studiosè, & tam impigrè te geris in quærendis opibus, & honoribus hujus mundi: si ex animo amares

Domi-

Dominum Iesum, quid non faceres ejus causâ? Nihil  
*amantibus durum est, nullus cupienti difficilis labor est.* Hier.

2. S. Josaphat statim audit vocem Dei, qui ore S. Barlaam loquitur: patrios errores exuit, assiduo ciliciorum, jejunii, & orationis usu, fortiter resistit blanditiis, artibus, minis, & viribus Dæmonis. Versaris in periculo, ut is Apolefcens, cades, nisi iisdem armis utaris: Jejuna, vigila, ora: tanti & longè pluris est, paradifus.

3. Ubi primùm Josaphat suæ ditionis populos Christi regno aggregavit, secessit in solitudinem unâ cum charissimo Patre suo Barlaam, ut sanctiori vivendi modo ad mortem se compararet. Sat laborasti mundo, sat honoribus, sat voluptatibus, sat divitiis, sat scientiis. Nunc tandem labora animæ tuæ. *Vasa colligenda, in freto viximus, moriamur in portu.*

## S. STEPHANUS Junior M.

28. Novembr.

*Vulpes foveas habent, & volucres  
 cæli nidos? filius autem hominis  
 non habet, ubi caput reclinet.*

Christus Matth. 8.

**S**tephano huic tempora cognomen Junioris fecerunt. Natus est post votum Virginis imagini, quæ Blachernis colebatur, à matre factum. Monachus non tamen Reipublicæ non

non profuit. Pugnavit è latebris suis fortissimè in communem Divorum hostem Copronymum; tum præcipuè cùm in templum Blachernense (cunas Stephani) debachatus barbarus furor est. Tunc, inquam, Stephanus pro Matre & Dei & suâ pugnaturus prodiit, & producto in conspectu tyranni nummo, qui imaginem ejus præ se ferebat, ostendit facile Augustissimas etiam Dei Divorumq; imagines honore debito colendas esse. Igitur insidiis appetitus & impuritatis à muliercula mendaci accusatus è speluncâ suâ ad tribunal, inde in exilium abducitur. Ibi quoque cùm imaginum cultum multis miraculis tueretur, vincis à tergo manibus in publicos carceres reducitur. VI. panis uncias & tres schyphos in hebdomades singulas Matronâ Christiana subministrante. Quòd tamen cæli Saturnalia instare sibi certus esset, hæc etiam vitæ fomenta XL. ante mortem diebus respuit, & cùm Icones Divorum (tota illi hæreditas erant) Matronæ illi, de qua diximus, donâisset, obujus hostibusjuit, & post multa ludibria raptatus per urbem calcibusque passim insultantium pulsatus tigno denique cæsus oppetiit. Parricidæ Carnifex dæmon fuit. Mulierculam lactentes gemini infantes in lecto lacerarunt,  
 ipsi

ipsi etiam sceleri immortui. Nec verò aliter decebat aut parere aut mori viperam. *Ex S. Hieron. 7.*

## M E D I T A T I O.

*De ferendis molestiis & afflictionibus*

**F**er patienter & moderatè, quod vitare non potes, sustine vim frigoris, & caloris, temporumque vicissitudinem. Mala communia ferenda sunt non communiter nimirum in expiationem peccatorum tuorum. Hoc si feceris, minues pœnam, quæ te in purgatorio manet, & augebis paratam tibi in cœlo gloriam: Tu, qui tuis criminibus infernum meruisti, qui potes de nimio tum calore, tum frigore conqueri? *desinet conqueri, si, quod patitur, intelligat se mereri.*  
S. Cyprian.

2. Hæc incommoda absque murmuratione pateris, cum spes affulget honoris, aut lucri. Nunquid mercator, nunquid miles tempestates, pericula, labores despiciunt, ut felicem suis in negotiis exitum habeant? quid multa? tot viri pii, multum patiuntur, ut placeant Deo. An sunt naturæ robustioris, quàm tu? Age, eorum exemplo labori assuesce. Nihil sine labore.

3. Tuâ causâ hæc & duriora pro te passus est Christus; considera eum algentem in præsepio, in Ægyptum fugientem, morientem in cruce; corpus ejus doloris ac laboris immune esse debebat, utpote conjunctum divinitati; continuum tamen adhibuit miraculum, ut pateretur. Tu verò lubens temporum ordinem, ac naturam mutares, ut nihil patereris. *Filius Dei*

Dei passus est, ut nos filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult.

## S. RADBODUS Episcopus.

29. Novembr.

*Quos præsavit, & prædestinavit  
conformes fieri imaginis filii sui.*

Paul. ad Rom. 8.

**V**ltas divorum Radbodus speculum suum dicere est solitus. In hoc dum oculos suos defixit, alterum nobis speculum vitam ecce suam dedit. Pietatem in Caroli & Ludovici Imperatorum aula edoctus est, ipsissimâ virtutis tunc scholâ. Hæc Clienti suo infulam Trajectensem peperit, dignissimo omnium calculis, præterquam suo. Submittere tamen eandem ad pauperum pedes, quos quotidie abluibat, non dubitavit, utque oculos & suos & aliorum falleret, ex auro quidem bibit, sed aquam; quam cum libare vellet non nemo, in merum vertit Radbodus, itaque cavet ne pessimus pocillator gloriola venenum suum virtuti affunderet. Jam Danos, cum dicenti ad concionem obstreperent, diris devovit, quas illico senserunt peste abrepti. Demum mortem sibi, alteri Infulam suam vaticina-  
tus

rus, inter preces, quibus ferè vitam duxit ab-  
solvit vitam, in opem præcipuè D. Martinum  
vocans, qui morienti adfuisse non vanis argu-  
mentis creditur. Illud indubium, ad decum-  
bentem Virginem Reginam SS. hinc Theclâ  
illinc Agnete stipatam venisse, eam ob causam,  
uti ipsa agebat, quod in precibus suis Radbo-  
dus nunquam non memor Virginis fuisset.  
Et verò qui Matris oblivisci filius posset? cer-  
tè oblivisci filiorum Mater hæc non potest.

Ex Surio.

MEDITATIO.

*Christianus Christo conformari  
debet.*

1. **C**Hristus in domo S. Josephi amavit nesciri, &  
pro nihilo reputari. Obedientiâ, humilitate,  
solitudine, suæ prædicationi prælusit: has potissimum  
virtutes imitari debes. An solitudinem, an humilita-  
tem, an obedientiam amas? tu qui semper impetrare,  
& nunquam parere velles? Heu! longè abes ab imita-  
tione Christi.

2. Jesus è latebris in lucem prodiit, ut incumberet  
in hominum salutem; verùm homines malum pro bo-  
no reddentes, probris & doloribus eum affecerunt.  
Si tibi cordi est, vestigiis Christi insistere, mature  
compara animum tuum ad graviora ferenda ab iis ip-  
sis, quorum conversioni vacabis: non est discipulus

supra

supra Dominum; nec decet te conqueri, tacente Christo, qui in crucem actus est ab iis, quos ad sanitatem reducere conabatur.

3. Inspice demum, & fac secudum exemplar, quod in Calvariae monte tibi monstratum est. Ibi Christus ultimum quidem, sed utilissimum patientiae dedit documentum. Ibi amor tuus crucifixus est. Ah Jesu! reliquum vitae meae tempus meditabor passionem tuam: quid doloris, quid dedecoris detrectabo, cum te videam doloribus & opprobriis saturatum? Si flagellari detrectas cur recipi desideras, flagellat Deus omnem filium, quem recipit qui unico non pepercit, Aug.

## S. ANDREAS Apostol.

30. Novemb.

*Mihi autem absit gloriari, nisi in  
Cruce Domini nostri Jesu Christi.*

Paul. ad Gal. c. 6.

**A**ndream, quo D. Petrus Germano gaudebat, tradunt omnium primum Christi scholae nomen dedisse; arcanorum Magistri inter paucos omnium conscium, quam hauserat doctrinam, ab eius morte Scythiae primo; mox Epiro & Thraciae, tum Achajae etiam intulisse; hic contra Procos: Aegeam Crucis acerrimum inimicum fortiter rem gessisse; ab

Z

hoc

hoc ad impia sacrificia invitatum id respon-  
disse: nobilius sibi sacrificium, idque quoti-  
dianum esse & Incruentum; Agnum illum om-  
nis maculæ expertem, & qui, postquam e-  
jus carne sanguineque omnes Christiani vixis-  
sent, non minùs tamen etiam ipse integer vi-  
veret: Sub hæc in vincula coniectum esse,  
eximendum facilè, nisi manus ipse Christianis,  
precibus suis, vinxisset; Protractum inde, ne  
supra Magistrum primus etiam discipulus es-  
set, virgis cælum, ad crucem raptatum esse;  
hanc procul conspectam amicissimè salutasse,  
ad hanc velut ad exoptatam vitæ metā prope-  
rassè, hanc velut expetitū senio suo scipionem  
amplexum esse, velut nobilissimum sugge-  
stum cupidissime conscendisse, ab ea duos  
dies totidemque noctes, ab ejus ore hominū  
millia XX. pependisse; quorum accursu cū  
territus Procos: detrahère eum de cruce co-  
gitaret, Andream id, ne fieret, magnopere  
Deum esse precatum, ac proinde inter mul-  
tum, qui precantem cinxerat, splendorem, è  
cruce ad cælum, Ægeam verò à malo dæmo-  
ne, obtorto collo, ad pessimam crucem in  
Orcum abiisse: extumulo denique ejus o-  
leum stillasse, & hoc uno dolorem tuum Chri-  
stianos leniisse. *Ex Bar.*

MEDI-



## MEDITATIO.

*In Crucem S. Andrea.*

**S** Andreas diu desiderârat Crucem, & ad eam jam dudum suum animum præpararat. Ejus Exemplo para animum ad graviora quæque perferenda, tum roga Deum, ut infligat aut permittat, quidquid ipsi libuerit; si votis annuerit, crux erit suavior; sin minùs, generosa voluntas mercede non frustrabitur. In dolore, in afflictione, dic cum S. Andrea: *O bona crux? diu desiderata! accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me accipiat, qui per te me redemit.*

2. Hic sanctus ad aspectum Crucis lætatur, gaudet, exultat, quod eadem morte moriturus sit, quâ mortuus est Dominus Jesus. Cùm vides imminentem Crucem, cum adsunt afflictiones, hæc cogitatio recreet animum tuum: hæc omnia, imò longè duriora passus est Christus, ut meo dolori aspergeret suavitatem. Nunquid parùm imitaris hunc sanctum Apostolum, cùm vel ad solam crucis & doloris cogitationem perhorrescas.

3. Considera, quòd Crux Andream, non Andreas Crucem portet. Si libenter portaveris Crucem, crux portabit te, & ejus beneficio mundi pericula vitabis: quòd si gestare nolueris: eam laboriosius trahes. Suam quisque crucem habet: sed eum non gravat, qui hilariac lubenti animo eam portat Dei causâ. *Navis est Crux.* August.

Z<sub>2</sub>

DE